

Handwritten text in a Gothic script, likely a list or index. The text is partially obscured by a circular stamp or seal. The stamp contains some illegible text, possibly including a date or name. The text on the page is arranged in several columns.

Handwritten text in a Gothic script, continuing the list or index. The text is arranged in several columns and appears to be a continuation of the previous page's content.

Handwritten text in a Gothic script, continuing the list or index. The text is arranged in several columns and appears to be a continuation of the previous page's content.

Handwritten text in a Gothic script, likely a list or index. The text is arranged in several columns and appears to be a continuation of the previous page's content.

Handwritten text in a Gothic script, continuing the list or index. The text is arranged in several columns and appears to be a continuation of the previous page's content.

Handwritten text in a Gothic script, continuing the list or index. The text is arranged in several columns and appears to be a continuation of the previous page's content.



TOMUS XXXIV.  
MISCELLANEOUM.

~~G.V.f.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

V-45.

SIGNAT. MDCCCXIII.

6 bände:

E

THESES  
 DE  
 GRATIA ET  
 LIBERO ARBITRIO.

Ad quas, auxiliante Deo,

PRÆSIDE

CLARISSIMO VIRO, IACOBO  
 KIMEDONCIO, S. Theolog. Doctore  
 & Professore,

Respondebit

THEODORVS HOLTMANNS  
 AMERSFORTIVS, BELGA.


iii. Maij, loco & horis solitis.



HEIDELBERGÆ,  
 typis Abrahami Smesmanni,  
 cId Id xcv.



12



THESES  
DE  
GRATIA ET  
LIBERO ARBITRIO.

Ad quæ auxiliante Deo

Præsit

CELEBRISSIMO VIRO, JACOBO

KIMBONCIO, S. Theol. Doctore

& Professore

Respondit

THEODORUS HOLTSMANNUS

AMERSTORTIENSIS, BRIGÆ.

in Maj. loco & hinc foliis.



WITTEBERGÆ  
typis Abrahami Zimmanni

cl. c. l. x. v.





DE GRATIA ET LIBERO  
ARBITRIO.

THESIS PRIMA.

DE libero arbitrio duo potissimum in considerationem  
veniunt: de natura & de viribus liberi arbitrij.

II.

Ad prius quod attinet, liberum arbitrium nihil aliud est,  
quam libertas voluntatis: siue, facultas eligendi aut repudiandi  
proprio ac suo motu, sine coactione, id quod ratio eligi aut  
repudiari suadet.

III.

Itaque ad liberum arbitrium concurrunt ratio & voluntas:  
in quarum posteriore præcipue arbitrij libertas vertitur; quã-  
doquidem huius magis quam illius electionem esse constat.

IV.

Ea de causa bruta, vt ratione & deliberatione ita liber-  
tate quoque destituuntur; & naturales sunt motus illi ra-  
tionis expertium, cum boni malive quid appetunt, aut eui-  
tant.

Aug. de Ci-  
uit. Dei lib,  
5.9.

V.

Est tamen in ijs velut imago & adumbratio quædam, sicut  
rationis, ita liberi arbitrij: quam liberum arbitrium metapho-  
ricè quidam nominant.

VI.

Liberi autem arbitrij sunt, Deus, angeli, homines, & cor-  
poribus soluti spiritus, iustorum & iniustorum. De Deo e-  
nim dicitur, *Facit omnia quæ vult.* Pl. 115. & 1. Cor. 12. *Hæc  
omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout  
vult.* id est, Ambrosio interprete, pro liberæ voluntatis ar-  
bitrio, non pro necessitatis obsequio.

Lib. de Tri.

## VII.

Ingen tamen discrimen est libertatis in Deo, & in creaturis: siue intellectum, siue voluntatem spectemus. Deus siquidem ex seipso perfectissimè omnia ab æterno intelligit atque intuetur, liber ab omni ignorantia & errore iudicij: creaturæ verò neque ex sese, neque omnia, neq; eadem quouis tempore sciunt: & præter rerum plurimarum ignorantiam error quoque in eas cadit.

## VIII.

Adhæc Dei voluntas, vt sapientissima, ita etiam omnipotens est, nec aliunde regitur, aut flectitur, præterquam à se ipsa. Angelorum verò & hominum voluntates, sic sunt motuum & actionum suarum causæ, vt nihilominus Deo subditæ sint, eiusque arcano consilio & prouidentia gubernentur; sicut scriptum est, Prouerb. 21. *Cor regis est in manu domini, & non clinat illud quocunque vult.* Dan. 4. *Iuxta voluntatem suam facit in exercitu cœli, & in habitationibus terræ.*

## IX.

Consequens tamen non est, sicut Vallæ, & alijs nonnullis visum fuit, vt quia prouidentia Dei cuncta reguntur, etiam voluntates nostræ; nulla idcirco in creaturis sit arbitrij libertas. Verum quippe est Augustini illud, sic Deum administrare omnia, quæ creauit, vt ipsa etiam proprios exercere atque agere motus sinat. Omnia enim disponit suauiter, Sap. 8. seruans, non destruens naturas quas condidit: ideoq; voluntates creatorum spirituum reguntur quidem à Deo, sed tamen non absque deliberatione & electione propria.

de ciuit. Dei  
lib 7. ca p. 30

## X.

Multò minus voluntatis libertati quidquam derogat, quod quæ apud animum nostrum deliberamus & statuimus, aliter plerunque cadere experimur, euentu consilij non respondente. Aliud enim est electio, quæ spontea & voluntaria est, de qua hîc loquimur: aliud exsecutio & euentus, qui non in nostro, sed Dei omnipotentis arbitrio est. *Iac. 4. 13. Rom. 1. 10. Psal. 127.*

Sed

XI:

Sed neq; ad naturam liberi arbitrij requiritur, sicut multi opinantur, vt voluntas ad vtrumlibet, bonum & malum, peræquè sese habeat, & in vtramque partem flecti possit: ita enim & Deus & beati spiritus libertate priuarentur arbitrij: sed si diligenter inspiciatur, liberum arbitrium videtur dici, quia sine coactione & necessitate valet appetere vel eligere quod ex ratione decreuerit. *Sic Lombardus ad verbum lib. 2. dist. 25. litera G. & Thomas q. 10. de potentia, art. 2. Sola coactio, inquit, repugnat naturali libertati voluntatis. Idem i. parte, q. 83. art. 2. Per peccatum perijt libertas gratia, sed non libertas natura, quæ est a coactione.*

XII.

Et si autem docti viri disputant, rem tantulam tam honorifico & superbo, vt loquuntur, titulo non insigniendam: nos tamen ad cauendam *λογομαχίαν* & suspicionem omnẽ, quasi toti in hoc doctrinæ capite reclamemus antiquitati, receptam appellationem facile toleramus & retinemus.

XIII.

Patribus siquidem assiduè in ore est libertas voluntatis, & liberum arbitrium, quod quisquis esse negauerit, catholicus esse negatur, hypognnost. 3. apud Augustinum. Et reprehenduntur passim apud veteres, Simoniani & Manichæi, quod pro libero voluntatis arbitrio, naturam & necessitatem inducerent.

XIV.

Sed ne euitata Charybdi in Scyllam quis incidat, viribus liberi arbitrij plus quàm par est tribuendo; tenendum, voluntatem hominis nondum regeniti per gratiam spiritus sancti, naturaliter sic esse liberam, eo quo dictum est modo, vt serua tamen sit peccati.

XV.

Est namque libertas triplex, secundum vsitatam Bernardi distinctionem: scilicet à necessitate siue coactione, à peccato & à miseria. Prima naturæ est, de qua scribit Apostolus 1. Cor.

A 3

7.

7. *Non habens necessitatem, sed potestatem habens suæ voluntatis.*  
Altera gratiæ est, de qua Dominus Ioh. 8. *Qui facit peccatum, seruus est peccati. Si filius vos liberauerit, verè eritis liberi.* Et Paulus Rom. 8. *liberati à peccato serui estis iustitiæ.* Tertia gloriæ erit, de qua Paulus eadem epist. cap. 8. *Tunc & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei.*

XVI.

Vt totum hoc de viribus liberi arbitrij magis pateat, quatuor status hominis distingui & considerari solent: ante lapsum; post lapsum ante reparationem; reparationis, & glorificationis.

XVII.

In homine nondum lapso mens integra ac certa Dei & voluntatis diuinæ agnitione illustrata erat, & voluntas inclinatione sua & motu spontaneo præstabat integram obedientiam voluntati Dei agnitæ; sic vt perstare in ea, si vellet; atque etiam deficere ab eadem & peccare posset.

XVIII.

Eam integritatem sapientiæ & iustitiæ in primis parentibus testatur, quòd ad imaginem & similitudinem Dei creati fuerunt; hoc est, vera iustitia & sanctitate præditi, Eph. 4.

XIX.

Deficere autem potuisse à rectitudine & iustitia illa originali, comprobauit lapsus tristissimus, quo se & posteros suos diuinis illis donis orbarunt.

XX.

Quæritur, cur Deus non tribuerit Adamo & Heuæ liberum arbitrium confirmatum in bono, vt peccare nõ possent. Respondemus cum Augustino *de corrept. & grat. cap. 10.* Deum, qui sciuerit magis ad omnipotentissimam suam bonitatem pertinere, etiam de malis benè facere, quàm mala esse non sinere, sic ordinasse angelorum & hominum vitam, vt in ea prius ostenderet quid posset eorum liberum arbitrium: deinde, quid posset suæ gratiæ beneficium, iustitiæque iudicium.

Quod



XXI.

Quod ad hominem lapsum, ante reparationem gratiæ, di-  
uerfa sunt rerum actionumque genera: alia terrena, alia cœ-  
lestia.

XXII.

Rursus, terrena diuiduntur in ea, quæ ad animalẽ, & quæ  
ad humanam vitam pertinent.

XXIII.

Prioris generis sunt; edere, bibere, stare, ambulare, cur-  
rere, & similia: quæ ferè communia nobis sunt cum bestijs.

XXIV.

In posteriore genere ponimus, quæ propria sunt homi-  
num: uti artes omnes, cùm liberales, tum mechanicæ, & sci-  
entiæ omnes, totaque philosophia; virtutes item morales &  
politicae, ijsque contraria vitia & facta.

XXV.

Ac in eiusmodi quidem magnam esse rationis & volunta-  
tis vim in non renatis, ad bonum & malum, si dubitare velle-  
mus, non modò verbo Dei, sed sensus etiam communis ex-  
perimento repugnaremus.

XXVI.

Vbi tamen silentio non prætereundum, quòd alios alijs  
præstare ingenij acumine, intelligentia & scientia, vel virtu-  
te ciuili videmus, ad specialia dona Dei referendum, qui mul-  
tos præteriens, nemini se obstrictum esse testatur. *Dan. 2. v-  
21. Exod. 31. 2. & 35. 30. Iud. 6. 34.*

XXVII.

Porro, cœlestes res vocamus ea tantùm bona, quæ ad re-  
gnum Dei, veramque pietatem & salutem spectant: ut sunt,  
vera Dei cognitio, fides, spes, caritas, timor domini castus,  
& tota noua obedientia atque obseruantia mandatorum Dei,  
ex corde puro & fide minimè simulata.

XXVIII.

Hic verò & ratio cæca, & voluntas ab omni bono auersa,  
& pec

& peccati serua est. Secundum dicta: *Caro & sanguis non reuelarunt tibi: Matt. 16. Animalis homo non percipit ea quae sunt spiritus Dei. sunt enim ei stultitia, nec potest ea cognoscere. 1. Cor. 1. Non sumus idonei ad cogitandum quidquam, tanquam ex nobis. 2. Cor. 3. Omne figmentum cordis humani tantum est malum, omnidie. Gen. 6. Fraudulentum est cor hominis supra omnia, & mortiferum. Ierem. 17. & apud eundem cap. 13. si athiops potest mutare cutem, aut pardus maculas suas, etiam vos potestis bene facere, edocti male facere. Omnes declinauerunt, una inuitiles facti sunt: non est qui bonum faciat, ne vnus quidem. Rom. 3. Et, Absque me nihil potestis facere; ait veritas, Ioh. 15.*

XXIX.

Ac sicut mortuus nil quod vitae est praestare potest: ita neque spiritualis vigoris aut vitae quidquam habemus, nisi gratia & spiritu Christi viuificemur & regeneremur, cum in peccatis mortui simus. *Ephes. 2.*

XXX.

Hoc respectu sanè voluntatem seruam, & captiuum arbitrium agnoscimus & predicamus. A quo enim quis victus est, eius seruus est. *2. Pet. 2.* Hinc Augustinus ad Anastasium. ep. 144. *Voluntas libera dicenda non est, quandiu vincuntibus & vincientibus cupiditatibus subdita est.* Et epist. 107. ad Vitalem, arbitrium **CAPTIVVM** expressè vocat, donec gratia liberetur. Et alibi: *liberum arbitrium captiuatum, non nisi ad peccatum valet; ad iustitiam vero nisi diuinitus liberatum, adiutumq; non valet.*

contra duas  
epist. Pelag.  
lib. 3. cap. 8.

XXXI.

Qua propter inscitè & falsò à Bellarmino scriptum est, nomen serui arbitrij ante Lutheri tempora nunquam auditum fuisse: quasi captiuum & seruum arbitrium non idem sit; nisi quòd plus est captiuum, quàm seruum.

praefatione  
de lib. arbit.

XXXII.

Damnanda hoc loco est; atque olim ab ecclesijs damnata, Pelagij haeresis: quæ quòd peccatum originale inficiaretur, imitatione tantum, & non innata corruptione nos peccatores

V  
res esse contendens, impiè statuebat hominem etiam sine gratia mandata Dei implere, & absque peccato viuere posse: quanquam faciliùs per gratiam. Testes, Hieron. in dialogis contra Pelag. Conc. Mileuitanum, & Augustinus passim.

XXXIII.

In tertio statu, hominis videlicet regenerati quidem, sed nondum glorificati, ad benè & malè agendum voluntas libera est. Renatorum siquidem opera in hac vita, partim bona, partim mala sunt: quæque optima ad eò sunt, imperfecta sunt & peccatis inquinata: tantùm abest, vt *omnia opera* in hac vita iustis tribui debeat, aut possit. Prou. 24.16.  
Rom. 7.18.  
Ies. 64.10.

XXXIV.

Et benè quidè facta, dicta, cogitataue, omnia ex gratia Dei sunt, sanante & liberante voluntates nostras: dicente Apostolo, *Ipsi sumus opus, conditi in Christo Iesu ad opera bona, quæ præparauit Deus vt in eis versaremur.* Eph. 2. Item cap. 5. *Eratis olim tenebra, nunc autem lux in domino.* & clarius ad Phil. 1. *Qui cœpit in vobis opus bonum, etiam perficiet.* Item ca. 2. *Deus est qui efficit in nobis velle & efficere, iuxta beneplacitum.*

XXXV.

Ideoque & initium & profectus & perseuerantia boni operis, mera Dei dona sunt: ne quis gloriatur. Quis te discernit? inquit Paulus. 1. Cor. 4. quid habes, quod non acceperis? quod si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?

XXXVI.

Nihilominus bona opera, nostra quoque dicuntur, & sunt: quia concurrat in iis voluntas nostra, conuersa iam & sanata. Certum enim est nos velle cum volumus: sed ille operatur, vt bonum velimus. Phil. 2. Et cum facimus, certum est nos facere: sed ille facit, vt faciamus, qui dixit: *Faciam vt iudicia mea obseruetis & faciatis.* Ezech. 36. Augustin. de grat. & lib. arb. cap. 16.

XXXVII.

Nimirum, vt velimus, sine nobis operatur: cum autem volumus, vt faciamus nobis cooperatur. Et tamen sine illo, vel operante vt velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nil valemus. Exempli causa: vt de cælo vocaretur  
B tur Idem vt supra, cap. 17.  
Ibid. cap. 8.

1. Cor. 15.

tur Paulus & conuerteretur, solius Dei gratia erat. Quæ autem benè pieque egit conuersus, nec ipse solus, nec gratia Dei sola, sed gratia Dei cum illo egit.

XXXVIII.

Phil. 1. 29.  
2 Cor. 3. 5 &  
cap. 4. 13.  
Gal. 5. 22.  
Eph. 6. 23.  
Prosper &  
Hilarius, e-  
pist. ad Au-  
gust. de Pe-  
lagianorum  
reliquiis.

Quod bona opera dictum est dona esse Dei; de fide quoque intelligi par est: & augmentum, & initium fidei, diuini & gratuiti esse muneris: contra quàm spiritus Pelagianus de operibus conuictus, contra fidem excipiebat, non esse donum Dei, sed à nobis esse in nobis, & per illam nos impetrare Dei illa dona, quibus temperanter, & iustè, & piè viuamus in hoc seculo. Ad hæc fidem quoque conuictus à Deo esse, cauillabatur, de incremento id accipiendum: non recedens ab ingrata Deo sententia, gratiam secundum merita dari; & initium salutis ex eo esse qui seruetur, non ex seruante.

XXXIX.

Atque hinc de compendio ratio assignari putabarur, electionis & reprobationis; Deum præsciuisse & elegisse qui fuerant credituri; alios reiecisse.

XL.

Hunn. thes.  
72. de præd.

Geminus iste error de causa fidei & prædestinationis, & Augustini quibusdam opusculis aspersus inuenitur: sed retractasse eum constat, electione gratiæ melius intellecta. 2. *Retract. tract. 21. & de prædest. sanct. cap. 3.* Attamen Hunnius, manifesto errore, velut antiquitatis & genuinam Augustini sententiam venditare non veretur, quòd Deus non opera quidem, sed fidem elegerit in præscientia, vt quem sibi crediturum præscierit, eum elegerit. Quæ ipsissima sententia, eo ipso capite 3. de præd. sanct. ex quo Hunnius citat, ab Augustino damnata & retractata est.

XLI.

Quod superest, in quarto hominis statu, qui est glorificationis, voluntatem habebimus liberam tantum ad bonum, cum liberatione ab omni malo; & non solum non peccabimus, sed nec peccare poterimus: quippe angelis similes effecti, vt æternum beati cum Deo viuamus, ad eum laudandum & celebrandum.

Nec

XLII.

Nec ideo liberum arbitrium non habebimus: sed tanto maior erit libertas, quanto magis peccato seruire non poterimus; exemplo Dei & hominis Christi. Nam peccare posse non tam libertatis est, quam defectus.

Aug. de ciuit.  
Dei lib. 22.  
cap. vii. &  
de predest.  
cap. 15.

XLIII.

Vsus horum præcipuus est, vt miseriam, in quam lapsu primorum parentum decidimus, & è contrario liberationem gratiæ cogitantes, nos coram Deo humiliemus; in nullo gloriantes, quia nihil nostrum est, nisi peccatum & mors: soli autem Deo, cuius omne est quod possumus, omnem gloriam & honorem tribuentes.

FINIS.




XIII

Non est liberum non habet: sed non  
est liberum non habet: sed non  
est liberum non habet: sed non  
est liberum non habet: sed non  
est liberum non habet: sed non

XIII

Vobis dico, quod si quis  
voluerit servare vitam  
perdet eam: sed si quis  
voluerit perdere vitam  
propter regnum caelorum  
etiam dabitur ei  
vita aeterna: quia  
qui se diligit  
ipsum, seipsum  
perdet: et  
qui se odit  
ipsum, servat  
vitam suam  
aeternam: quia  
qui se diligit  
deum magis  
quam seipsum  
etiam dabitur  
ei vita aeterna:  
quia qui se diligit  
deum, seipsum  
perdet: et  
qui se odit  
ipsum, servat  
vitam suam  
aeternam.

F I N I S



Umg. VI 45

ULB Halle 3  
002 379 767




s. b.

WDA









225  
E

THESES  
DE  
GRATIA ET  
LIBERO ARBITRIO.

Ad quas, auxiliante Deo,

PRÆSIDE

CLARISSIMO VIRO, IACOBO  
KIMEDONCIO, S. Theolog. Doctore  
& Professore,

Respondebit

THEODORVS HOLTMANNVS  
AMERSFORTIVS, BELGA.

iii. Maij, loco & horis solitis.



HEIDELBERGÆ,  
typis Abrahami Smeßmanni,  
c l o l o x c v.

